

DE  
VSVCAPIONE  
ET  
PRAESCRIPTIONE LONGI TEMPORIS  
EX PRINCIPIIS NATURALIBVS  
DISSERIT

---

ET AD  
SOLENNIA  
MAGISTRORVM

DIE XIII FEBR. MDCCXLIV

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO  
HORIS ANTEMERIDIANIS CONSVETIS  
CREANDORVM

INVITAT  
D. AVGVSTVS FRIDERICVS  
MÜLLERVS

ACAD. h. t. RECTOR,  
ET  
ORDINIS PHILOSOPHORVM  
DECANVS.

---

LIPSIAE  
EXCVDEBAT B. C. BREITKOPF.

~~EXCVDEBAT~~ 26.

157, 20

Coll. diss. A  
202, 33

VSVCAIIONE

EX PRINCIPIS AAVKALIBVS

DISSERT

STAD

SOLFENIA

MAGISTROVM

IN MATHEMATICA

ARTIS

ARTIS

CREATVM



DAVGVSTVS FRIDERICVS

MAGISTROVM

ARTIS

ARTIS

ARTIS

EX

ARTIS



Iure Ciuili constitutum est, vt qui bona fide et iusto titulo possidet rem alienam, dominium eius acquirat temporis certi lege definiti lapsu, quo qui rem suam potius esse contendere possit, tacitum tulerit alterum possidere. Quem modum et acquirendi dominium, et partum contra serum interpellatorem tuendi, vsucapionis & longi temporis praescriptionis nomine notarunt ICTi. Scilicet qui dominium acquirit possessione continua longi temporis, quo re vsus sit pro sua, vsucapere dicitur, idemque adeo est vsucapere, quod vsu longi temporis acquirere. Praescribere autem, auctore *Barn. Briffonio*, idem fuit veteribus ICTis quod excipere, hinc praescriptio idem quod exceptio; idque ad similitudinem graeci sermonis, quo exceptio vocatur παραγραφή; qua ratione exceptionem fori non competentis φόρος παραγραφήν, fori praescriptionem dixit Iustinianus Imperator in *Nov. 8. Cap. 12*; et passim in Iure Ciuili loco vocabuli exceptionis adhibetur

praescriptionis vox. Sic *L. 9. pr. D. de Transact.* transactionis exceptio *praescriptio factae transactionis*, *L. 13. D. de Legation.* biennii exceptio *praescriptio biennii* dicitur. Et quae *L. 1. D. Si ingenuus esse dicetur*, exceptio temporis vocatur, eadem *L. 5. Eod.* *praescriptio temporis* appellatur. Hanc vim et potestatem verbum praescriptionis etiam habet in titulo Pandectarum qui inscribitur *de Exceptionibus, Praescriptionibus, et Praeiudiciis*, vbi quippe *L. 11. praescriptio rei iudicatae* idem sonat quod rei iudicatae exceptio; et *L. penult. praescriptio in factum*, idem, quod exceptio in factum. Id tamen docet *Raenardus de Praeiudic. L. I. c. 8. 9. 10*, paullum differre inter se exceptionem & praescriptionem: cum exceptio sit loco generis, cui species subiectae sint praescriptiones, & praeiudicia; praescriptiones enim esse exceptiones, quas reus opponere actori ac probare possit, antequam actor ad probandam causam suam admittatur; quae, si plane actione separata et peculiari disceptari, et praeiudicari debeant, praeiudicia dicantur. Sic ergo quemadmodum vsucapio est acquisitio domini per possessionem longi temporis non interruptam: ita longi temporis *praescriptio* idem est ac *exceptio* longi temporis, qua qui vsucepit repellit quemcumque rei vindicationem intentantem, et dominium vsucapione acquisitum tuetur. Plane expresse, quae alias longi temporis *praescriptio* vocatur, longae possessionis *exceptio* dicitur *L. 5. §. 1. D. de diuers. tempor. praescript.* item *exceptio* triginta vel quadraginta annorum, quae alias *praescriptio* triginta vel quadraginta annorum vocatur, *L. 8. §. 1. et 4. C. de praescript.*

*script. 30 vel 40 annor.* Ceterum recte monet *Boeclerus*  
*ad Grot. Lib. II. C. IV. pag. 100.* vsus temeritate postea fa-  
ctum esse, vt hanc Iuris Civilis distinctionem non tan-  
tum Ius Canonicum permutatione vtriusque vocabuli  
neglexerit, sed Doctores quoque, vtriusque Iuris inter-  
pretes, promiscue fere vtantur his appellationibus. Sic  
quando hodie *exceptionem praescriptionis* dicunt: cum  
proprie praescriptio & exceptio sint vnum idemque,  
praescriptionis voce, ne exceptio praescriptionis sit vox  
nihili, vel vsucapionem intelligere debent, vel longum  
tempus, cuius praescriptione siue exceptione nos tue-  
mur. De alia, quae vsucapionem inter et longi tempo-  
ris praescriptionem fuisse dicitur in foro Romano antiquo  
differentia, quam Iustinianus sustulisse se praedicat *pr. I.*  
*de Vsucap. et L. vn. C. de Vsucap. transf.* hoc loco differere  
nihil attinet.

Praemissis his ex scholis Ictorum de verborum signifi-  
catione, quaeritur, vtrum vsucapionis ius sit mere ciuile,  
an naturale etiam? quam quaestionem, si ex haecenus  
dictis probe teneamus, quae vis sit huius iuris et verbi,  
clarius ita efferre possumus: Cum Iure Ciuili qui bona  
fide et iusto titulo possidet rem alienam, dominium eius  
iure perfecto acquirat eo solo, quod rem possederit per  
certum longi temporis spatium, quo effluxo pristinus  
dominus, rei vindicationem fero intendens, re-  
pelli possit ea ipsa longi temporis praescriptione siue ex-  
ceptione: quaeritur, an vlla sit temporis diuturnitas,  
cui eadem vis transferendi dominium naturali etiam Iure  
tribuenda sit, cuiusque adeo praescriptione siue excepti-

one possessor refutare possit intentionem et conatum pri-  
stini domini, restitutionem rei olim suae urgentis? Id  
igitur ponimus in primis, de essentia usucapionis esse  
tempus. Et nisi operam velimus ludere, propriam hanc  
et germanam significationem ex sententia Iurisperitorum  
huic verbo debemus subiicere, qua notat acquisitionem  
per possessionem longi temporis; non aliam quamuis,  
quam suo quisque arbitrio usucapionis vocabulo notare  
voluerit. In alio quocumque acquirendi modo si quis  
iuris sui fundamentum ponat, vbi nulla ratio habenda sit  
temporis, quo rem possederit eaque usus sit pro sua, non  
is certe se usu rem cepisse siue acquisivisse dicere pote-  
rit, sed alio illo acquirendi modo; neque praescriptio,  
qua repellat petitem, qui rem suam esse intenderit,  
praescriptio erit longi temporis, sed alia quaeuis esse pot-  
erit. Praescriptio enim, si nihil addas, *cuius* sit praescri-  
ptio, usu veterum Iuristarum exceptionem in genere no-  
tat. Iam si, vt appareat qua exceptione te defendas,  
praescriptionem urgeas longi temporis; maxime et tan-  
tum non vnice ad diuturnitatem temporis, quo dominum  
rei te gesseris, respiciendum esse vis. Et quamuis hodie in-  
definite praescriptionem dicamus, sine adiectione vocis,  
*temporis*: attamen nemo aliam praescriptionem intelligit,  
quam longi temporis; cum alia vocis acceptio, quam  
qua exceptionem longi temporis notat, ne quidem rece-  
pta sit usu hodierno, quo plane insolitum est, aliam  
quamcunque exceptionem praescriptionem vocare. Ne-  
mini mirum videri debet, nos haec monere tam operose.  
Plurimi qui naturale esse ius usucapionis demonstrare in-  
gressi

gressi sunt, alium quemquam ius aliquod ex altera parte amittendi, ex altera acquirendi, modum nobis demonstrarunt, cui nomen vsucapionis pro arbitrio vtcunque accommodare potuerunt. Certe hoc faciunt, qui notioni vsucapionis tempus detrahunt. Sic summum aliquem Philosophum vsucapionem naturalem ita definire videas, quod sit acquisitio domini ex derelictione rei praesumpta; praescriptionem, quod sit amissio iuris proprii ex consensu praesumpto. Hanc vero vsucapionis & praescriptionis notionem qui conceperint, si quem hominem forte inuenire centunculum videant, aut aliquid supellectilis detritae, quod animo derelinquendi a domino abiectum fuisse praesumi possit, inuentorem hoc ipso momento quo rem sibi capit, nullo interueniente temporis intervallo, eam vsucapere dicent; ex derelictione enim rei praesumpta dominium eius acquirit: & pristinus dominus sic ius suum amittere dicendus est praescriptione; amittit enim id consensu praesumpto, vt quae praesumptio inest praesumptioni derelictionis. Qui non solum certum illum, quem Ius Ciuile definiuit, annorum aut dierum numerum, sed plane tempus indefinite, soli Iuri Ciuili tribuunt, demonstrationem moliendo eius quod volunt, naturale scilicet esse ius nescio quod, quod ipsis vsucapionem vocare placet, id potius efficiunt quod nolunt, non naturale esse, sed mere ciuile, ius illud quod vere et proprie vsucapionis vocabulo notant Iuris periti.

Id ergo quaeritur, numquid rationis naturalis in fit tempori cuicunque, cuius praescriptione possessor tueri se possit contra dominum rem vindicantem, quo hic excidisse

cidisse

cidisse iure suo, & hoc in possessorem translatum esse concipi queat? Vbi illud quidem quamplurimis doctis viris, qui ius vsucapionis naturale esse negant, assentit *Grotius Lib. II. Cap. IV*, tempus ex suaapte natura vim nullam effectricem habere ad extinguendum ius alterius, et ad id transferendum in alterum. Quod enim hodie meum est, non alterius, qui quaeso cras, vel elapso anno, vel post plurima lustra, desinere posset meum esse, et qui transire posset ad alium, perstantibus iisdem iuris mei rationibus, nullaque in iis, sed sola temporis mutatione interueniente? Licet vero tempus per se nihil hic efficiat; cum tamen nihil non fiat in tempore: etiam quicquid fit eorum, quibus utique iura nostra mutantur, et modo pereunt, modo transeunt ad alios, fit in tempore. In his autem existere possunt aliqua, quorum ratio quaerenda fit in ipsa temporis elapsi, quo contigerint, diuturnitate. Ergo quamuis tempus solum, & in se consideratum, nihil efficere possit: non omnis tamen efficientia abiudicanda forte erit tempori, si ad ea referatur, quae facta fuerint in tempore, et quid in haec longinquitas et dies possit, diligenter expendatur. Et in his quaerendum est naturale, si quod est, vsucapionis fundamentum.

Hanc viam et rationem ingressus *Grotius* fundamentum hoc in derelictione rei, ex diuturnitate temporis, quo pristinus dominus alium rem tranquille possidere passus sit, praesumta se inuenisse sibi visus est. Scilicet vnicuique integrum est, rem suam derelinquere, eoque occupandi copiam facere aliis. Et hoc vel expresse fieri potest,



potest, verbis: vel tacite, factis. Sub factis autem veniunt & non facta, considerata cum debitis circumstantiis: & tale non factum est intermissio, siue non usus, iuris sui. Sic ergo, ait *Grotius*, qui rem suam ab alio teneri scit, nec quidquam contradicit multo tempore, is, nisi causa alia manifeste appareat, non videtur id alio fecisse animo, quam quod rem illam in suarum rerum numero esse nollet. Ad hanc tamen derelictionis praesumptionem ut valeat silentium, duo requirit: primo ut silentium sit scientis, deinde ut sit libere volentis; nam non actionem nescientis carere effectu; et cessare coniecturam voluntatis, si causa alia appareat. Haec igitur duo ut adfuisse censeantur, alias quidem multas coniecturas valere ait; sed temporis magnam vim esse in vtrumque: multas enim occasiones ius suum resciscendi subministrare tempus; et causas alias silentii, verbi gratia metum incussum, durare quidem non nihil, sed non perpetuo, cum tempus longum multas occasiones aduersus metum sibi consulendi, per se, vel per alios suppeditet. Est ergo usucapio naturalis de sententia *Grotii*, modus dominium acquirendi occupata possessione rei a pristino domino derelictae, derelictione quidem praesumpta ex silentio pristini domini per lapsum temporis tanti, quantum ad praesumptionem hanc sufficiat. Tempus hoc certo quidem annorum numero definire non audet: silentium tamen temporis, quod memoriam excedat, ad rei derelictae coniecturam semper sufficere ipsi videtur.

B

Non

Non vero rem acu tetigisse visus est *Grotius* quam plurimis viris doctis: neque id immerito. Principium vsucapionis naturale ponit in derelictione tacita pristini domini, qui rem possidere desierit; & talem derelictionem ex longinquitate temporis, quo is ius suum non viderit, praesumendam esse existimat; & tum demum, si hoc fundamento nixa derelictionis praesumptio subsit, rem vsucapione naturaliter acquiri statuit. At vero derelinquere rem dicitur is, qui possessionem eius dimittit eo animo, ut eam in numero rerum suarum esse nolit. Omnis ergo derelictio voluntate fit derelinquentis, et repugnantia loqueretur, qui diceret, ignorantem quemquam aut omnino nolentem rem aliquam dereliquisse. Atqui vsucapio, teste experientia, contra ignorantem etiam et prorsus nolentem procedit. Et plane, si verum fateri velis, vix vlla est, quin contra ignorantem aut nolentem procedat. Procedit igitur vsucapio etiam contra non derelinquentem. Et sic principium vsucapionis naturalis poni non potest derelictio. Aliud est rem derelinquere, quod volentis est, aliud ademptionem et iacturam iuris, de quo cedere nunquam animum induxeris, nolentem experiri, quod quidem est rem amittere, non vero derelinquere. Amisit rem suam, qui longi temporis praescriptione a persecutione iuris sui, quo nunquam cedere voluit, excluditur, non vero dereliquit. At enim, inquis, si cedere noluit, cur per tot annos tacuit? Ex diuturnitate enim temporis, quo tacuit, iudice *Grotio* coniiicere licet duo: primo eum ius suum rescivisse, et hinc scientem tacuisse; deinde eum ius illud suum

no 71

8

suum

suum persequi noluisse, et sic tacite se eo abdicasse, cum praesumendum sit, si aliae quaevis tacendi causae extitissent, veluti metus, eas tanto temporis interuallo cessaturas fuisse. Ergo si ex silentio diuturno praesumendum est, alterum et rescivisse ius suum, et eo tacite se abdicasse: praesumenda ex silentio diuturno est rei derelictio. Habes omnem vim ac sententiam argumentationis Grotianae. Verum primo frustra praesumitur id, cuius contrarium experientia certum confirmat. Praesumptio est ratiocinatio, qua quid probabile sit in casu dubio singulari colligitur. Tantum vero abest ut dubium hic sit de voluntate domini, ut potius moraliter certum sit, vix unquam rem alicuius pretii, quae usucapione acquiritur, a pristino domino ea mente desertam fuisse, quod eam in numero rerum suarum esse nollet, sed plerosque omnes, qui longi temporis praescriptione res suas amittunt, nolentes vel certe ignorantes eas amittere. Verius igitur fingi, illustrationis forte causa, quam praesumi derelictionem dixeris: quemadmodum si quis, quem in vivis esse norimus, in iure pro mortuo haberi dicitur, fingitur, non proprie praesumitur mortuus. Deinde posito, ambigi quodammodo posse, utrum dominus suam porro esse velit rem, cuius possessionem amiserit: certe diuturnitas temporis, quo dominus tacuit, ad duplicem illam coniecturam *Grotii*, dominum & rescivisse ius suum, & eo cessasse, tantum habere momenti haud videtur, quantum ad inferendam regulam iuris generalem, & iuris quidem perfecti, sufficere possit. Fieri enim quamplurimis mo-

dis potest, vt & per longissimum tempus quis ius suum ignoret, et vt, si sciat, metu impotentiaque vindicandi cohibitus diu admodum tempori obsequendum esse videat, quod haud raro vsu venit in controuersis principum liberarumque gentium. Ipse huc respicere videtur *Grotius*, quando silentium domini ad coniecturam derelictionis tum demum aliquid valere fatetur, nisi validissimae sint in contrarium rationes, quarum tamen vim diuturnitate temporis extinguere putat. Veruntamen fat longo etiam interiecto tempore rationes eiusmodi tot esse & tam validae possunt, vt, si rationes praesumptionis illius non vincant, saltem in plerisque casibus rationum contrariarum facile paria futura sint momenta. Tertio concedamus velim tantisper quod *Grotius* vult, ex silentio domini diuturno praesumendam esse derelictionem rei, & videamus, an quod cogere inde vult efficiat. Praesumptioni non nisi in re dubia locus est, neque adeo diutius et ultra quam res dubia est. Quamobrem cum fieri possit, vt quae diuturna obscuritate latuerat veritas se tandem aperiat: cum primum dubitationem vel ratio sustulerit vel euentus, praesumptio desinit. Siue enim, cum res obscura adhuc et incerta esset, verum affecuti coniectura fuerimus; sublata dubitatione non praesumimus amplius, sed certum scimus: siue opinio fefellerit; quilibet tunc rationi consentaneum esse fatebitur, relicta opinione, quantacunque veri similitudine fefellerit, amplecti veritatem nunc manifestam. Fingamus hominem aliquem, qui militatum abierit, indicis verisimillimis praesumi mortuum, & plane extare testi-

monium

monium fide publica datum, in eorum illum numero esse qui in acie ceciderint. Fingamus hunc seruatum nihilominus, captumque in loco a patria remotissimo hactenus detentum, nunc longo interiecto tempore redire saluum: an esset quidquam similius insaniae, quam pristinis quibus praesumptio constabat ratiunculis obtundere hominem, fidemque etiamnum negare viuum se sistenti et profitenti? Nota hinc et peruulgata regula est, valere praesumptionem donec probetur contrarium. Fac ergo, quantacunque volueris probabilitate praesumendum hactenus fuisse, siquid iuris in re, quam per longum tempus hactenus possederis, arrogare sibi possit alius quispiam, hunc et rescivisse ius illud suum, et, dum tacuerit, volentem deseruisse: si nihilominus intercedat aliquis, qui et potiore iure rem suam esse, et quod praesumeras falsum esse probare possit et velit: nonne hoc facto cedere praesumptio debet veritati tandem elucescenti? Tantum ergo abest ut concessa derelictionis praesumptione sequatur, possessorem rem acquisivisse, ut potius hoc inde cogi videatur, possessorem, quantumvis probabiliter putauerit se esse dominum, nunc tamen comperta falsitate eius quod putauerat, obstrictum se intelligere ad rem restituendam vero domino. Sane si ea esset praesumptionis vis, ut falsitate etiam eius quod praesumeras detecta nihilominus perstaret id, quod inde illatum fuerat: non video, quid usucapione opus esset et temporis lapsu. Adest enim statim ab initio praesumptio fortissima, si rem emas vel alio titulo iusto accipias a bono viro, hunc esse dominum rei, eiusque do-

minium traditione in te transferri. Et quis quaeso, nisi hoc praesumeret, emeret quidquam? At enim, ais, diuturnitas temporis, quo possessor re usus est pro sua, id ipsum efficit, ut petitor, quantacunque evidentiā probare possit contrarium, ne audiatur quidem; fit enim lapsu temporis, uti Icti loqui solent, *praesumptio iuris et de iure*, quae, si vel maxime probari possit contrarium, probationem eius non admittit. Imo vero, inquam, de tuo illo derelictionis praesumptae principio deiectum sic te esse non vides? qui scilicet fateri cogeris, fieri posse, ut quis longi temporis praescriptione rem suam perdat, quam etiam a se nequaquam derelictam fuisse approbare possit. Ad alias enim rationes nunc dilaberis, quibus iam probare te debere intelligis, non audiendum esse eum, qui refutare etiam praesumptionem tuam, quique adeo principio illi tuo locum nequaquam esse ostendere possit et velit. Iam fac, rationes naturales factis validas afferri posse, quae vel iubeant, vel suadeant, non audire dominum, si vel maxime is reuellere derelictionis praesumptionem possit: minime in derelictione rei, ut cuius coniectura probato contrario euanesceret, et non nisi illustrationis causa fingi videtur, sed in ipsis illis rationibus quaerendum tandem erit verum usucapionis principium.

Quaenam ergo sunt rationes illae? Nempe inter est reipublicae, ut dominia rerum tandem sint certa, et ut litibus statuatur tempus, quod sufficere dominis debeat ad inquirendas res suas. Annon ergo in his potius et similibus rationibus, missa praesumptione derelictionis, quae-

quaerenda sint et inueniantur vera vfucapionis principia, et an demonstrari ex iis possit, vfucapionem esse Iuris naturalis, mox alia occasione differendi copiam habebimus. Nunc enim indicenda est panegyris, in honorem Virorum aliquot Iuuenum pereximiorum celebranda, quorum in Philosophia, et artibus quae ad humanitatem pertinent, profectus egregios examinibus consuetis exploratos habemus. His ergo summos in Philosophia honores, eruditionis ac virtutis praemium et testimonium publicum, proxime instante Iouis die ritu solenni conferendos decreuit Ordo Philosophorum. Sunt autem hi:

**CAROLVS GOTTFRIDVS WINCKLER,**  
Lipfienfis, Philof. Bac.

**CAROLVS FERDINANDVS HOMMEL,**  
Lipfienfis, Philof. Bac.

**IOANNES CRISTIANVS LEO,**  
Leucopetrenfis, Philof. Bac.

**IOANNES AVGVSTINVS EGENOLF,**  
Grimmenfis, Philof. Bac.

**IOANNES CHRISTIANVS GROSSE,**  
Kirchhayna Luf. Philof. Bac.

**CHRISTOPHORVS HENRICVS BARTH,**  
Annaebergenf. Philof. Bac.

**CHRISTIANVS TRAVGOTT SCHVBART,**  
Smorca Luf. Philof. Bac.

**BENIAMIN GRODDECK,**  
Gedanenfis Philof. Bac.

WIL-

WILHELMVS PAVL VERPOORTEN,  
Coburgensis, Philof. Bac.

IOANNES HIERONYMVS HEZER,  
Lipfienfis.

IOANNES BENIAMIN BOEHMER,  
Ligio Silefius.

IO. CHRISTIANVS SCHVCHART,  
Arnftadienfis.

IOANNES ANTONIVS HERMANN,  
Islebienfis.

CHRISTOPH. HENRICVS ROESSEL,  
Marlesrutha, Baruthinus.

IOANNES CHRISTOPHORVS ROSTIVS,  
Tondorfienfis, Thuringus.

FRIDERICVS AVGVSTVS MÜLLERVS,  
Lützena, Mifnicus.

GOTTLIEB LEBRECHT SAXE,  
Eppendorffo, Mifnicus.

CAROL. CHRISTOPHORVS FRITSCHÉ,  
Cizenfis.

IACOBVS IMMANVEL WAECHTLER,  
Iüterboeco Saxo.

GOTTLOB BENIAMIN WEINMANN,  
Hirfchberga Silefius.

GEORGIUS DAVID ALAND,  
Iüterboeco Saxo.

Ad hanc panegyrim in Auditorio Philofophorum ho-  
ris antemeridianis confuetis celebrandam *Comites Illuftris-  
simos, Proceres Grauiſſimos, nec non Generoſiſſimos ac Nobi-  
liſſimos Academiae Ciues,* officioſe ac peramanter inuita-  
mus, pergratum hoc beneuolentiae cum erga Ordinem  
noſtrum, tum erga Candidatos digniſſimos, documen-  
tum omni officiorum genere compensaturi. P. P. Domi-  
nica *Eſto Mihi,* Anno MDCCXLIV.



*Coll. Diss. A. 202, misc. 33*